



The Holy See

IOANNES PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM LITTERAE DECRETALES CUM VIS UT* QUIBUS BEATO HUMILI DE BISINIANO SANCTORUM HONORES DECERNUNTUR «Cum vis ut Tibi serviam, ecce, Domine, existentia mea, vita mea, cor meum, oblata in servitium Tuae Maiestatis ». Haec verba, prolata a beato Humile de Bisiniano (in saeculo Luca Antonio Pirozzo), dum iuvenis adhuc laicus erat, voluntatem eius patefaciunt sese omnibus viribus Christo donandi. Contemplans enim infinitum amorem, quo Deus ad creaturas se vertit, omnimodo conatus est respondere eiusmodi amori totamque Domino suam consecravit vitam, Regulam observans sancti Francisci Assisiensis. Ipse Bisiniani, prope Consentiam, natus est die XXVI mensis Augusti anno MDLXXXII ex humili et religiosa familia eodemque die baptizatus est. Iuvenis opus exercebat in agris et praecipua eminebat pietate. Cotidie participabat celebrationem Eucharisticam, assiduus erat in oratione, paenitentia et Sacramentorum receptione. Curam insuper de pauperibus habuit et saepe invisebat aegrotos, quos solabatur atque hortabatur ut Christo suas offerrent infirmitates. Consilium sequens sui moderatoris spiritus, reverendi domini Marci Antonii Solima, nomen dedit Confraternitati Mariae Sanctissimae Immaculatae. Deinde, maturata vocatione ad vitam religiosam, ingressus est Ordinem Fratrum Minorum in Mesoraca. Expleto noviciatu, die IV mensis Septembris anno MDCX emisit professionem religiosam. A superioribus proinde varios in conventus missus provinciae Septem Martyrum Calabriae, ubique enituit fervore accuratae diligentisque observantiae Regulae. Plurima actuose explevit sibi concredita officia, nempe stipem colligendi, vestibulum conventus curandi, mensam communitatis apparandi, hortum colendi. Dominus praebuit ei singularia dona, sicut extasim, facultatem scrutandi corda, spiritum propheticum. Superiores subiecerunt eum multis temptationibus ut cernerent an huiusmodi dona vere divino ex fonte profluissent, at ipse humiliationes libenter sustulit propter Christi amorem. Ex exemplari oboedientia eiusque vita simplici et abscondita persuasum est superioribus mirabilia phaenomena quae ipse operabatur reapse esse opus divinae gratiae. Vir vivae altaeque fidei, quam incessanti aluit oratione constantique devotione erga Eucharistiam, Virginem Sanctissimam et Angelum Custodem. Semper fiduciam habuit in Divina Providentia, numquam in animi demissionem incidit, sed potius fiduciam in Dominum iis transmisit qui apud eum solacium et columen quaerebant. Cupiens ut mundus universus laudaret et glorificaret Creatorem, omnes ad Dei amorem hortabatur. Propter Christi amorem magna sollicitudine concedebat postulatis multorum hominum qui, fama eius attracti, ab eo materiale aut spiritale auxilium petebant. Ob constans exercitium christianarum virtutum, quas iugiter re confirmavit, ob eius manifestam prudentiam donaque accepta charismatica aestimationem collegit Summorum Pontificum Gregorii XV et Urbani VIII, qui Romam vocaverunt eum ut eis praesto esset suis precibus et consiliis. Voluntatem deinde manifestavit proficiscendi veluti missionarius in terras non christianas, sed prohibitus a superioribus, oboedivit. Accurate leges Ecclesiae atque Regulam sui Ordinis servavit. Corporalem constanter exercebat paenitentiam, dormiebat in nuda terra, valde sobrius fuit in cibis, potionibus et vestibus. Passiones sensusque dominatus est, a iuventute castitatem suam integram servavit. Fortis exstitit in tribulationibus,

patiens in difficultatibus, in Dei ministerio perseverans, erga omnes iustus et docilis. Ab omni terrestri ope segregatus et solum aeterna desiderans bona, excellenter vixit votum paupertatis, incarnando meliore modo franciscalem spiritum. Magna cum humilitate Deo cuncta ascribebat merita, sibi nullam cupiens gratitudinem, quoslibet humanos spernens honores; semper solumque Dei voluntatem conatus est perficere. In extrema versans infirmitate, solacium invenit nomen Iesum invocando. Pie in Domino obdormivit die XXVI mensis Novembris anno MDCXXXVII. Propter diffusam famam sanctitatis anno MDCCCLXIV incohatus est Processus Informativus. Servatis ex iure servandis, Decessor Noster Leo XIII die XXIX mensis Ianuarii anno MDCCCLXXXII solemniter eum titulo beati decoravit. Deinde die VII mensis Iulii anno mnti Nobis coram promulgatum est Decretum super miraculo, quod eiusdem Beati intercessioni adsignatum erat. Excipientes favens votum Patrum Cardinalium et Episcoporum die XXVI mensis Februarii anno MMII in Consistorio coadunatorum, decrevimus ut ritus canonizationis Romae ageretur die XIX insequentis mensis Maii. Hodie igitur, una cum ingenti coetu Pastorum et Christifidelium ex multis populis et regionibus pie sollemnitatem celebrantes Pentecostes, invocato Spiritus Sancti auxilio, in foro Petriano inter sacra hanc pronuntiavimus formulam: «Ad honorem Sanctae et Individuae Trinitatis, ad exaltationem fidei catholicae et vitae christianae incrementum, auctoritate Domini nostri Iesu Christi, beatorum Apostolorum Petri et Pauli ac Nostra, matura deliberatione praehabita et divina ope saepius implorata, ac de plurimorum Fratrum Nostrorum consilio, Beatos Alfonsum de Orozco, Ignatium a Santhià, Humilem a Bisignano, Paulinam a Corde Iesu Agonizanti et Benedictam Cambiagio Frassinello Sanctos esse decernimus et definimus, ac Sanctorum Catalogo adscribimus, statuantes eos in universa Ecclesia inter Sanctos pia devotione recolere debere. In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti ». Deinde Ipsi Nos libentes venerati sumus novum Sanctum, extollentes virtutes et merita eius, praesertim sane proponentes hominibus nostrae aetatis veluti exemplar authenticae vitae evangelicae, genuinae eius humilitatis, promptae oboeditionis et voluntariae paupertatis propter Christum. Quibus prolatis verbis, orationem pio quidem habuimus studio, qua tum eximiam vivendi viam tum singulas simul christianas virtutes laudibus extulimus huius Sancti, qui, veluti lucerna ardens et lucens, claras dedit pietatis operumque bonorum testimonias. Item omnes qui se christianos esse profitentur hortati sumus ad illius vestigia sequenda. Denique publice cum adstantibus cunctis illum venerati sumus atque consentanea nimirum prece quasi praeerentes Ipsi primi eum in adiutorium omnium nostrum in terra adhuc peregrinantium invocavimus. Quae autem decrevimus, volumus nunc et in futurum tempus vim habeant, contrariis rebus quibuslibet non obstantibus. *Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die undevicesimo mensis Maii, anno bismillesimo secundo, Pontificatus Nostri vicesimo quarto.* **EGO IOANNES PAULUS** Catholicae Ecclesiae Episcopus Marcellus Rossetti, *Protonot.*

Apost.

*A.A.S., vol. XCV (2003), n. 4, pp. 225-228 © Copyright 2002 - Libreria Editrice Vaticana